Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift



eciam seruis ⁊ ancillis. ⁊ comunicauerunt de sacrificio laurencij martis
Et posita mensa prius quam cibum sumerent. uenerunt milites ⁊ tenuerunt eum. ⁊ perduxerunt ad decium cesarem.
Quem uidens decius cesar. subridens dixit ei. Nunquid ⁊ tu magus effectus es. uel ut quia corpus laurencij abstulisse dicaris? Respondit ypolitus. Ego feci non quasi magus. sed quasi xpianus.
Quo audito decius cesar furore arreptus. iussit ut lapide os eius tunderetur. Et expoliauit eum ueste qua indutus erat xpiana. ⁊ dixit ei. Sacrifica dijs. ⁊ acquiesce preceptis meis ⁊ uiue. ⁊ fruere milicie palma. Ypolitus dixit. Non me expoliasti. sed magis uestisti. Decius cesar dixit.
Nunquid tu non es cultor deorum? Quomodo insipiens factus es. ut uel nuditatem tuam non erubescas? Ypolitus dixit. Ego sapiens ⁊ xpianus factus sum: quia ignorans feci quod tu credis. Decius cesar dixit. Sacrifica dijs ut uiuas. ⁊ non pereas per tormenta sicut ⁊ laurencius. Ypolitus dixit. Exemplum merear beati laurencij fieri. quem tu miser ausus fuisti ore polluto nominare. Decius dixit. Extendite eum ⁊ fustibus cedite. Et cum diu cederetur dixit. Gratias ago deo meo. Decius dixit. Deridet ypolitus fustes. cum cardis cedite eum. Et cedentes defecerunt.
Sanctus ypolitus clamabat uoce clara. Xpianus sum. Decius cesar dixit. Leuate eum a terra. Et cum leuatus fuisset. iussit eum uestiri ueste militari. qua ante gentilis utebatur. Et dixit decius ad sanctum ypolitum. Recole miliciam tuam ⁊ esto noster amicus. ⁊

in conspectu nostro utere milicia pristina quam semper habuisti. Tunc beatus ypolitus dixit. Milicia mea xpianum firmum me demonstrat. unde cupio celerem ad palmam cum fructu uenire
Decius iracundia plenus. dixit ad ualerianum prefectum. Accipe omnes facultates eius. ⁊ interfice eum crudeli examinacione. Eadem die ualerianus prefectus exquisita omni facultate eius. inuenit in domo ypoliti omnem familiam xpianam Quam ipse preses adduci ante conspectum suum iussit. Ibidem enim erat nutrix sancti ypoliti. cum uiro suo nomine concordia xpiana. Valerianus prefectus dixit. Genus seruorum nisi cum suppliciis non emendatur. Et iussit ut concordia cum plumbatis cederetur. Et cum cederetur. emisit spiritum presente ypolito. Tunc ypolitus cepit exultans dicere. Gratias ago tibi domine. quia nutricem meam premisisti ante conspectum sanctorum tuorum. Valerianus prefectus dixit ad sanctum ypolitum.
Adhuc tu confidis in arte magica. ⁊ non honoras deos. nec precepta principum sequeris? Et iratus iussit eum duci foras muros porte tyburtine cum familia sua. Tunc sanctus ypolitus cepit omnes confortare dicens. Fratres nolite metuere. quia ego ⁊ uos unum dominum habemus. Iussit uero ualerianus in conspectu ypoliti ut omnes capite truncarentur.
Et decollati sunt promiscui sexus numero decem ⁊ nouem. Beati uero ypoliti iussit ut pedes ligarentur ad colla equorum indomitorum. ⁊ sic per cardos ⁊ tribulos trahi. Qui dum traheretur. emisit spiritum.
Eadem hora dimiserunt corpora iuxta nimphas ad latus agri ueranum idus Augusti.